

schismatis instructor, latinas Ecclesias jussit obserari. Verum s. Leo IX. romanus Pontifex par pari nequaquam retulit, quamvis id facillime posset, neque Graecorum templa Romae clausit sed aperta esse voluit. Itaque de injuria Latinis illata conquestus in sua *Epistola prima cap. 9.* ita subdidit: *Ecce in hac parte romana Ecclesia quanto discretior, moderatior et clementior vobis est? siquidem, cum intra vel extra Romam plurima Graecorum reperiuntur Monasteria sive Ecclesiae, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione sive sua consuetudine: quin potius suadetur et admonetur eam observare.*

§. 7. Initio saeculi decimi tertii, cum Latini in potestatem suam Constantinopolim redeissent et Summus Pontifex Innocentius III. decrevisset Patriarcham Latinum in ea civitate constituere, cui non solum Latini sed etiam Graeci obtemperarent, nihilominus palam declarare non praetermisit, nullum se velle Graecis Ritibus inferre detrimentum, nisi si quae forte consuetudines inter eos receptae periculum animarum parerent aut honestati ecclesiasticae adversarentur. Decretalis hujus Pontificis in Concilio Lateranensi IV. edita refertur tum in tom. VII. Collectionis Conciliorum Harduini pag. 22., tum in cap.: *Licet, de Baptismo: „Licet Graecos diebus nostris ad obedientiam Sedis apostolicae revertentes fovere ac honorare velimus, mores ac Ritus eorum, quantum cum Domino possumus, substinendo, in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus, quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati.“* Honorius postea III., qui Innocentio immediate successit, iisdem verbis usus est, cum literas dedit ad regem Cypri, qui duos Episcopos in nonnullis regni sui civi-

tatibus optabat, Latinum videlicet pro Latinis, qui in illis versabantur, Graecum alterum pro Graecis, qui iisdem in locis commorabantur. Atque haec Honorii epistola typis impressa legitur in *Annalibus Raynaldi ad annum Christi 1222 num. 5.*

§. 8. Documentis ejusmodi plurimum redundat saeculum decimum tertium. Ad hoc quippe saeculum pertinet epistola Innocentii IV. ad Danielelem regem Russiae, apud Raynaldum ad annum 1247 num. 29., qua ipsius regis specialem devotionem erga Ecclesiam cathol. commendans concedit, ut Ritus, qui Fidei rom. Ecclesiae non repugnarent, in ejusdem regno serventur, ita scribens: *„Eapropter, charissime in Christo Fili, tuis supplicationibus inclinati Episcopis et aliis Presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere et alios eorum Ritus, qui Fidei catholicae, quam Ecclesia romana tenet, non obviat, observare auctoritate praesentium indulgemus.“* Huc etiam spectat ejusdem Innocentii IV. epistola ad Olhonem Cardinalem Tusculanum S. Sedis Legatum in insula Cypri, cui munus demandaverat nonnullas controversias componendi, quae Graecos inter ac Latinos excitatae fuerant, uti deprehenditur ex ejus Constitutione, quae incipit: *Sub Catholicae*)*: *„Verum quia nonnulli Graecorum jamdudum ad devotionem Sedis apostol. redeuntes ei reverenter obediunt et intendunt, licet et expedit, ut mores ac Ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantibus ipsos in Ecclesiae rom. obedientia praeservemus. Quamquam in his, quae animarum periculum parerent vel honestati ecclesiasticae derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus nec velimus. Postquam vero in eadem epistola prae-*

*) Vd.: *Bull. r. t. I. p. 100.*

scripsit ea, quae a Graecis facienda erant, tum ea enumeravit, quae illis permittenda arbitrabatur, his verbis concludit: *„Memoratis autem Archiepiscopo Nicosiensi et eis Suffraganeis Latinis communiter auctoritate Nostra praecipias, ut eosdem Graecos super praemissis, contra hujusmodi provisionem et deliberationem Nostram, non inquietent aliquatenus nec molestant.“* Idemque Pontifex Innocentius IV. Laurentium Minoritam Poenitentiarium suum apostolicum Legatum constituens eique plenam auctoritatem tribuens in Graecos omnes, qui in regno Cypri, in Patriarchatibus Antiocheno et Hierosolymitano morabantur, in Jacobitas etiam, Maronitas ac Nestorianos, hoc illi potissimum mandavit, ut Graecos universos auctoritate sua vindicaret ab omnibus molestiis, quae ipsis a Latinis inferri possent: *„Mandamus, quatenus Graecos illarum partium, quocumque nomine censeantur, auctoritate apostolica protegens, turbari eos violentiis vel quibuscumque molestiis non permittas, injurias quaslibet et offensas a Latinis illatas eisdem plenarie faciens emendari et Latinis ipsis districte praecipiens, ut a similibus de caetero penitus conquiescant.“* Haec sunt Innocentii verba ad praedictum Legatum apostolicum, quae a Raynaldo ad annum Christi 1247 num. 30. recensentur.

§. 9. Alexander IV. in locum Innocentii Pontificis immediate successit cum irritam cessisse Praedecessoris sui voluntatem animadvertisset cumque turbas ac dissensiones graecos inter ac Latinos Episcopos in regno Cypri adhuc vigere percepisset, latinis Episcopis indixit, ut graecos Ecclesiasticos suas ad Synodos accenserent; eos autem Decretis Synodalibus subiectos declarans sequentem conditionem adjecit: *Recipere et observare*

synodalia statuta, quae tamen Graecorum Ritibus Fidei Catholicae non adversis et a rom. Ecclesia toleratis non obviat. Hujusmodi laudabili exemplo inhaerens Elias Archiepiscopus Nicosiensis anno 1340 Decretis suis synodalibus hanc declarationem inseruit: *„Per hoc autem non intendimus inhibere graecis Episcopis et eorum subditis, quin Ritus suos Fidei Catholicae non adversos sequantur, juxta compositionem a felicitis recollectionis Domino Alexandro Romano Pontifice in regno Cypri inter Latinos et Graecos editam et observatam.“* Haec omnia perspici possunt in Labbeana Collectione, Venetae editionis, tom. 14. p. 279. et tom. 15. p. 775.

§. 10. Finem saeculo decimo tertio imponit memorata Graecorum Latinorumque unio statuta in generali Concilio Lugdunensi sub b. Gregorio X. Summo Pontifice, qui ad Michaellem Paleologum Fidei Confessionem unionisque Decretum a Concilio firmatum et a Legatis Orientalibus juratum misit, ut ipse quoque Imperator ac reliqui graeci Episcopi eisdem subscriberent. Peracta fuerunt omnia ab Imperatore et Orientalibus adjecta tamen hac conditione, quae ipsorum literis continetur, ab Harduino relatis in sua Collectione, tom. 8. pag. 698.: *„Sed rogamus Magnitudinem Vestram etc., quod permaneamus in Ritibus Nostris, quibus utebatur ante Schisma, qui scilicet Ritus non sunt contrarii contra supradictam Fidem nec contra Divina praecepta.“* Quamvis autem responsum Gregorii Pontificis ad has Orientalium literas interierit, quum tamen ipse unionem ab iis acceptatam atque subscriptam satis firmam reputaverit, merito inde colligitur, praedictam conditionem ab ipso receptam probatamque fuisse. Et sane Nicolaus III. Gregorii Successor per suos Legatos, quos Constantinopolim misit,

his verbis animum suum patefecit, uti habetur apud Raynaldum ad annum Christi 1278: *De caeteris autem Graecorum Ritibus eadem romana Ecclesia intendit Graecos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter prosequi et ipsos in illis Ritibus, de quibus Sedi apostolicae visum fuerit, quod per eos Catholicae Fidei non laedatur integritas nec sacris statutis Canonum derogetur, perseverare permittit.*

§. 11. Quod attinet ad saeculum decimum quintum, sat esse potest indicata superius unio in Concilio Florentino statuta, cui ab Eugenio Pontifice probatae Joannes Palaeologus subscripsit, hac lege: *ne ex Ritibus Nostrae Ecclesiae aliquid immutetur, uti videre est tom. 9. Collectionis Harduini p. 395.* Verum, cum Nobis in animo non sit singula percensere, quae a romanis Pontificibus sequentibus deinde saeculis gesta sunt, praecipua quaedam attingemus, ex quibus manifesto deprehendatur, ipsos quidem omni conatu studioque egisse, ut insidentes Orientalium animis errores ab iis evellerent, sed simul etiam manifestis argumentis id ostendisse, sartos tectosque se velle Ritus, quibus eorum majores ante schisma approbante Sede apostolica usi fuerant, nec unquam ab Orientalibus postulasse, ut, si Catholici esse vellent, latinum Ritus amplecterentur.

§. 12. In Graecorum Enchiridio edito Beneventi duae Summorum Pontificum Leonis X. et Clementis VII. habentur Constitutiones, quibus vehementer increpantur Latini illi, qui in Graecis reprehendabant observantiam eorum, quae in Florentino Conc. eisdem permessa fuerant, praesertim quod Sacrificium offerrent in fermentato, uxorem ducerent, antequam sacris Ordinibus initiarentur, eamque post susceptos Ordines sacros retinerent, quodque Eucharistiam sub utraque specie etiam

pueris exhiberent. Pius IV. in Constitutione: *Romanus Pontifex* *), dum Graecos in Latinorum dioecibus commorantes Latinis Episcopis subjectos fore decernit, ita subdit: *„Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Graeci ab eorum graecanico Ritu detrahantur vel alias desuper quoquo modo per locorum Ordinarios aut alios impediuntur.“*

§. 13. Annales Gregorii XIII. a Patre Maphaeo conscripti et Romae impressi anno 1742 complura referunt, quae idem Pontifex gessit, licet exitu parum felici, ut Cophtas Armenosque ad Catholicam Fidem reduceret. Sed ad rem nostram potissimum faciunt ea, quae leguntur in ipsius Constitutione 63. in *novo Bullario tom. 4. part. 3.*, et in duabus aliis, videlicet 157 et 173 in eodem *Bullario tom. 4. part. 4.*, de fundatione trium Collegiorum in Urbe ab eodem Pontifice institutorum pro Graecis, Maronitis et Armenis, in quibus Alumnos dictarum nationum educari voluit, ita tamen, ut semper in suis Ritibus Orientalibus perseverarent. Celeberrima fuit unio Ruthenorum cum apostolica Sede fel. record. Clementis Papae VIII. peracta, cujus monumenta relata leguntur in Annalibus Venerabilis Cardinalis Baronii *Romanae editionis anni 1596 tom. VII.*, ubi pag. 682 exhibetur decretum ab Archiepiscopis et Episcopis Ruthenis pro ineunda unione confectum cum hac conditione: *„Salvis tamen et in integrum observatis caeremoniis et Ritibus cultus Divini peragendi et SS. Sacramentorum juxta consuetudinem Ecclesiae Orientalis; correctis tantummodo iis articulis, qui ipsam unionem impedirent, ut more antiquo fierent omnia, sicut olim unione durante fuerunt.“* Sed cum paulo post ad pacem turbendam

*) Vd.: *Bull. r. t. II. p. 290.*

rumor percubisset, sublato esse in unione Ritus universos, quibus Rutheni antiquitus usi fuerant in Divina Psalmodia, in Missae Sacrificio, in Sacramentis administrandis aliisque Sacris Caeremoniis, Paulus V. literis Apostolicis in forma Brevis datis anno 1615, quae in eodem Graecorum Enchiridio impressae sunt, voluntatem suam his verbis solemniter declaravit: *Dummodo veritati et doctrinae Fidei Catholicae Ritus non adversentur et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per unionem praemissam tollere aut extinguere Ecclesiae Romanae intentionem mentem et voluntatem non fuisse nec esse; nec id dici vel censi potuisse nec posse; quinimo dictos Ritus eisdem Ruthenis Episcopis et Clero ex Apostolica benignitate permisos, concessos et indultos esse.*

§. 14. Aptissime hic recenseri possent Ecclesiae, quas diversis temporibus posteriores Romani Pontifices Graecis, Maronitis, Armenis, Cophtis, Melchitis in Urbe addixerunt, quaeque etiamnum extant et patent, ut sacras functiones in ipsis juxta Ritus suum singuli expleant. Opportune hic quoque referri posset, quemadmodum Clemens Papa VIII. in sua Constitutione 34. §. 7. veteris Bullarii Graecum Episcopum Romae constituit, ut Italo-Graecis Latinas dioecesis incolentibus Ordines juxta Graecorum Ritus conferret; deinde vero alium a Clemente XII. proximo Praedecessore nostro, in sua Constitutione incipientem *Pastoralis* fuisse superadditum Graecum Episcopum, qui fixam in Bisiniansi dioecesi Sedem habeat, ut Italo-Graecis Ordines conferat, ne qui longius ab Urbe distant, longum iter aggredi cogantur, ut Ordines ab Episcopo Graeco Romae degente juxta allatam Clementis VIII. Constitutionem suscipiant; ac ne ipsis quidem Epi-

scopis Catholicis Maronitarum, Cophtorum et Melchitarum, qui aliquando Romae versantur, denegari facultatem conferendi Ordines juxta Ritus suum nationis suae hominibus, dummodo idonei reperiantur. Ad rem pariter hic addi posset, quoties aliqua de disciplina Orientalium vel Italo-Graecorum excitata est controversia, Apostolicam Sedem nihil praetermississe, ut si quae emendatione digna visa sunt, emendaret, edicendo statim velle se, ut caeteris in rebus omnibus Orientalis Ritus inviolatus firmusque maneret, aut aperte declarando, quae pro Italo-Graecis inter nos degentibus et Latinorum Episcoporum jurisdictioni subjectis statuebantur, ita accipi oportere, ut eos dumtaxat afficiant, nequam vero protendantur ad Graecos Orientales, qui a nobis longe dissiti Graecis Episcopis suis Catholicis subsunt.

§. 15. Deprehenditur id ex confirmatione Synodi provincialis Ruthenorum coactae in Urbe Zamosciae anno 1720; ad quam examinandam Nos quoque, quippe qui tunc munere Secretarii Cong. Conc. fungebamur, acciti fuimus a fel. recordat. Bened. XIII., qui licet obsecundandum putasset insinuationibus Patrum ejusdem Concilii, a quibus nonnulli Ritus inter Graecos vigentes suis decretis vel temperati fuerant vel sublato, praedictam Synodum confirmavit quidem suis Apostolicis literis in forma brevis datis anno 1724 hac tamen addita declaratione: *Ita tamen, quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum et decretis Conciliorum Generalium emanatis super Ritibus Graecorum, quae, non obstante hujusmodi confirmatione, semper in suo robore permanere debent.* Idem quoque colligitur ex pluribus nostris Constitutionibus, quae in nostro

Bullario continentur, de Ritibus Cophthorum, Melchitarum, Maronitarum, Ruthenorum et Italo-Graecorum generatim atque etiam speciatim de Ritibus Cleri Collegiatae Ecclesiae Messanensis s. Mariae de Graeco nuncupatae, ac postremo de Graeco Ritu in Ordine s. Basilii servando. Siquidem in Constitutione 87. ejusdem Bullarii tom. I. *) de Graecorum Melchitarum Ritibus haec leguntur: *De Ritibus igitur et moribus Ecclesiae Graecae in primis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere quovis titulo et colore et quacumque auctoritate aut dignitate, etiamsi Patriarchali aut Episcopali praefulgeat, quidquam innovare aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorundem observantiam imminuat.* In praecedenti vero Constitutione 57. quae incipit: *Etsi Pastoralis* §. 9. num. 1. haec de Italo-Graecis praescribuntur: *Quoniam Orientalis Ecclesiae Ritus, utpote non minima ex parte a Sanctis Patribus profecti vel a majoribus traditi, sic animis Graecorum aliorumque insectorum, ut Praedecessores Nostri Romani Pontifices satius consultiusque duxerint Ritus hujusmodi, qua in parte nec Fidei Catholicae adversantur nec periculum generant animarum aut ecclesiasticae derogant honestati approbare seu permittere, quam illos ad Romanarum Caeremoniarum normam reducere etc.* Et §. 9. n. 24. haec leguntur: *His insuper, quae superius in quacumque parte Italo-Graecis concessimus, indulgimus, declaravimus, praecepimus, ordinavimus et interdiximus seu prohibuimus, Graecorum in Oriente sub propriis Catholicis Episcopis, Archiepiscopis vel Patriarchis commorantium et aliarum Christianarum Nationum quorumcum-*

*) Vd. supra.

que Rituum a S. Sede approbatorum seu permissorum, juribus qualibuscumque, si quae illis de jure vel ex consuetudine vel alias quomodolibet legitime competant aut Apostolicis Constitutionibus vel Conciliorum Generalium aut particularium seu Congregationum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium decretis, quae super Ritibus Graecorum seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto praejudicatum vel praejudicium ullum illatum esse non intendimus.

§. 16. Verum his aliisque pluribus praetermissis libere asseremus, Romanos Pontifices assiduum atque indefessam curam impendisse, ut haereses, a quibus schisma inter Occidentalem atque Orientalem Ecclesiam dimanavit, profligarent, ac propterea earum delestationem sive abjurationem expoposcisse ab iis Orientalibus, qui ad Ecclesiae unitatem redire postulant, aut de quibus explorandum est, utrum vere ad unitatem Apostolicae Sedis pertineant. Duae sunt formulae professionis fidei, quarum prima Graecis praescripta a Summo Pontifice Gregorio XIII. *); alteram vero pro Orientalibus statuit Urbanus VIII. Cum autem deinde anno 1665 Patriarcha Antiochenus, Syriacus, Hierapolis necnon Archiepiscopus Syrorum in eadem urbe Hierapolis commorantium suae fidei professionem ad Urbem transmisissent eaque data fuisset examinanda Patri Laurentio de Laurea Ordinis Minorum s. Francisci Conventualium tunc temporis S. Officii Consultori et deinde S. R. E. Cardinali; is die 28. Apr. ejusdem anni suffragium suum scripto exaratum protulit, quod etiam subinde fuit a Congregatione probatum illudque his verbis concluditur: *Omnes sunt admittendae,*

*) Vd.: *Professio fidei* (a Graecis emitt.)

sed significandum est iis, ad quos spectat, ut in posterum curent emitti Professionem Fidei alias a felicis recordationis Urbano VIII. Orientalibus praescriptam, quia illa continet multarium haeresum detestationem et alia pro iis regionibus necessaria.

§. 17. Cumque inimicus homo, ut superseminaret zizania, eo nequitiae nonnullorum animos impulisset, ut Missalibus, Breviariis ac Ritualibus admiscerent errores, quibus ecclesiastici caeterique de Clero inficerentur, opportuno Consilio et post accuratum examen Romani Pontifices typis Congregationis de Propaganda fide Missale Copticum ac Maronitarum sicut etiam Illyrica aliaque hujusmodi Missalia recudenda curarunt. Neque silentio praeterire possumus, quantum curae ac laboris collatum fuerit in emendando Graecorum Euchologio, quod e typographia ejusdem Congregationis superioribus mensibus prodiit absolutum. Hujus operis examen magno quidem studio sub Urbano VIII. Pontifice coeptum fuit, at post non multum temporis intermissum, instauratum autem novissime sub Clemente XII., proximo Praedecessore Nostro: ast Deus Optimus Maximus eo Nos gaudio perfudit, ut post innumeras vigilias, labores ac discussiones Pontificatus Nostri tempore a Cardinalibus, Praesulibus, Theologis ac Viris Orientalium Linguarum peritissimis peractas, quin nobis ipsi perpercerimus, investigando nimirum, perlegendo et expendendo quaecumque inspicienda, legenda et examinanda erant, gravissimum hujusmodi opus absolutum intueremur; ea semper adhibita accurata et quodammodo scrupulosa circumspectione, ne quid minimum laederetur Graecus Ritus, sed illibatus omnino retineretur et integer, quamvis caeteroquin superioribus temporibus inter nostros Theologos non defuerint, qui Orientalium

liturgiarum rituumque, qui ante schisma in Orientali Ecclesia obtinuerant, penitus ignari improbarent quidquid adversabatur Occidentalis Ecclesiae Ritui, quem tantummodo probe noverant. Utque uno verbo complectamur omnia, in reditu Graecorum schismaticorumque Orientalium ad Catholicam Religionem curando, id unum Romanis Pontificibus maximae curae fuit, ut ex illorum animis radicitus evellerent Aarii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Dioscori, Monothelitarum aliorumque errores, in quos infeliciter proruerant, salvis tamen et intactis Ritibus ac disciplina, quam ante schisma servabant et profitebantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis liturgiis ac ritualibus innititur; quin unquam iidem Romani Pontifices poposcerint, ut ad Catholicam Fidem redeuntes suum Rituum dimittere et Latinum amplecti deberent: id namque Ecclesiae Orientalis et Graecorum ac Orientalium Rituum omnimodam secum ferret internecionem, quod porro non modo nunquam tentatum, imo vero semper fuit et est ab hujus S. Sedis Consilio quammaxime alienum.

§. 18. Ex his, quae hucusque latiore calamo relata sunt, plura facile inferri possunt. Primum quidem, conatus omnes omnemque diligentiam in id unum impendendam esse ab eo Missionario, qui Orientales schismaticos et Graecos ad unitatem Deo juvante redigere contendit, ut scilicet ab illorum animis errores depellat Catholicae Fidei adversantes, quos majores eorum amplexi sunt, ut causam aliquam praetenderent, qua se ab Ecclesiae unitate segregarent subtraherentque ab obedientia ac obsequio Romano Pontifici tanquam ejusdem Ecclesiae Capiti exhibendis. Quod vero spectat ad argumenta, quibus Missionarius uti debet, quum Orientales propriis veteribus Patribus magnopere

adhaereant, peracta jam res est operosa sedulitate diligentissimi Leonis Allatii aliorumque clariorum Theologorum, qui perspicue demonstrarunt, convenire maxime inter sese veteres spectabilioresque Graecorum nostrosque Ecclesiae Occidentalis Patres, in iis omnibus, quae ad dogma pertinent et ad confutationem errorum, quibus Orientales et Graeci nunc temporis misere implicantur. Quapropter horum librorum studium maximam indubie afferet utilitatem. Conati sunt sane Lutherani praeterito saeculo Orientales et Graecos in errores suos pertrahere. Idem quoque tentarunt Calvinistae infensissimi hostes praesentiae realis Christi in Sacramento Eucharistiae et transsubstantiationis panis ac vini in ejusdem Corpus et Sanguinem, et in partes suas Patriarcham Cyrillum, ut ajunt, adduxerunt. Attamen, cum Graeci, licet schismatici, animadvertissent novis Lutheranorum erroribus adversari suorum veterum Patrum auctoritates praesertim Sanctorum Cyrilli, Joannis Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Joannis Damasceni, tum authentica argumenta, quae ex ipsorum liturgiis depromuntur, ad realem praesentiam et transsubstantiationem asserendam, se decipi minime passi sunt, nec ullo modo a Catholica veritate recedere voluerunt. Constat id omne ex Schelestrato in Dissertatione: *De perpetua consensione Orientalis Ecclesiae contra Lutheranos*: sub titulo: *De transsubstantiatione p. 717 tom. 2. Actorum Ecclesiae Orientalis*. Iidemque duabus in Synodis Patriarcham Cyrillum seu edita sub ejus nomine Calviniana dogmata unanimes damnarunt, uti videre est apud Christianum Lupum part. 5. ad Concilia Generalia et Provincialia; ac potissimum in Dissertatione: *De quibusdam locis cap. 9. in fine*. Ex quo primum haud levis spes affulget, fore, ut ipsorum oculis subjectae au-

ctoritates veterum Patrum, quae novis eorundem erroribus adversantur, Catholico autem nostro dogmati favent quammaxime, facilem iisdem viam ad reditum sternant eosque ad veram conversionem impellant. Deinde alterum quoque potest inferri, nimirum, non modo opus non esse, ad Orientales et Graecos in viam unitatis revocandos, ut laedantur ipsorum Ritus aut corrumpantur; quandoquidem id semper alienum fuit ab instituto Sedis Apostolicae, quae in hac ipsa Sacrorum Rituum materia, zizania a tritico, quoties oportuit, discernere novit; verum etiam conatus hujusmodi plurimum optatissimae unioni adversari, uti recte perpendit Thomas a Jesu: *De conversione omnium gentium procuranda lib. 7. cap. 2.*: *Ostendendum etiam, Ecclesiam Romanam probare ac indulgere, ut quaevis Ecclesia propriis adhaereat Ritibus et Caeremoniis; quippe cum schismatici priorum Rituum tenacissimi sint. Ne ipsos eorum perdendorum ingruens aliqua suspicio ab Ecclesia Romana alienet et avertat, opportune laborandum, ut se in propriis Caeremoniis insectandis conservandos esse persuadeantur*. Demum ex iis, quae supra praejecimus, illud tertio inferitur, cavendum omnino esse Missionario, qui Orientalem schismaticum reducere cupit, ne eundem ad Latinum amplectendum Ritus inducere contendat: munus namque hoc unum Missionario demandatur, revocandi Orientalem ad Catholicam Fidem, non vero ipsum ad Latinum Ritus inducendi.

§. 19. Peracta in Florentino Concilio unione, quam superius memoravimus, quidam ex Latinis Catholicis in Graecia commorantes arbitrati sunt, fas sibi esse a Latino Ritu ad Graecum transire, allecti fortasse ea libertate, quam noverant Graecis praeservatam, retinendi post Ordinem Sacrum

uxores, quas duxerunt, antequam eundem Sacrum Ordinem suscepissent. Verum Nicolaus V. Pontifex Maximus opportunum haec corruptelae remedium afferre non praetermisit, uti colligitur ex ejus Constitut. tom. 3. part. 3. Bullarii recenter Romae editi p. 64: *Pervenit ad aures nostras, quod in locis, quae Catholicis in Graecia subjecta sunt, multi Catholici unionis praetextu ad Graecos impudenter transeunt Ritibus. Mirati admodum sumus mirarique non desistimus, nescientes, quid sit, quod eos a consuetudine ac Ritibus, in quibus nati nutritique sunt, in alienigenarum Ritibus transposuit: nam, etsi laudabiles Orientalis Ecclesiae Ritibus sint, non licet tamen Ecclesiarum Ritibus permiscere, neque id unquam Sacrosancta Synodus Florentina permisit. Cum Latinus Ritus is sit, quo utitur S. R. E., quae Mater est et Magistra aliarum Ecclesiarum, reliquis omnibus Ritibus praeferrere debet: ex quo porro sequitur, haud licere a Latino Ritu ad Graecum transire; nec illis, qui semel a Ritu Graeco vel Orientali ad Latinum transierunt, integrum esse ad pristinum Graecum Ritus reverti, quemadmodum patet ex nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis 57. §. 2. n. 13*. Bullarii nostri tom. I. nisi forte peculiare quaedam intercederent circumstantiae, quae impediendam hac super re dispensationem suaderent, sicuti superioribus temporibus aliquando et nunc etiam accidit in Collegio Maronitarum hujus nostrae Urbis, in quo, cum quandoque reperitur aliquis S. J. Sacerdos, qui Societatem ingrediens dispensationem obtinuit transeundi ad Latinum Ritus, nonnunquam cum eo dispensatur, ut in Ecclesia memorati Collegii Missam celebret Ritu Syriaco et Caldaico Divinumque Officium juxta eundem Ritus persolvat, nempe, ut Alumnos in eodem Collegio degentes*

Ritus ipsum edoceat. Id liquido apparet ex pluribus decretis Congregationis S. Officii, uno videlicet dato die 30. Decb. anno 1716, altero die 14. Decb. anno 1740, nec non ex alio recentiori, quod Nos die 19. Aug. anno 1752 jussimus expediri.

§. 20. Haec transitum de Latino ad Graecum Ritus spectant. Nunc autem verba facientes de transitu ab Orientali et Graeco ad Latinum Ritus libere affirmari potest, transitum hujusmodi non aequae ac primum interdicti, sed tamen nequaquam licere Missionario, Graecum et Orientalem ad Catholicam Ecclesiam unitatem reverti exoptantem inducere, ut proprium Ritus dimittat, cum ex hac agendi methodo gravissima detrimenta, sicuti paulo ante innuimus, promanare possint. Melchitae Catholici libenter olim a Graeco Ritu ad Latinum transibant; sed vetitum id ipsis fuit monitque Missionarii, ne illis suaderent hujusmodi transitum; cujus permissio est privativo Apostolicae Sedis judicio reservata, uti manifestum fit ex nostra Constitutione: *Demandatam 85. §. 35. Bullarii tom. I.**): *Praeterea omnibus et singulis Melchitis Catholicis Graecum Ritus servantibus ad Latinum Ritus transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus sub poenis etiam infra exprimendis aliisque arbitrio nostro discernendis, ne cuiquam ex illis hujusmodi transitum a Graeco ad Latinum Ritus suadere praesumant aut etiam cupientibus, inconsulta Apostolica Sede permittant*. Consentanea sunt decreta Urbani VIII. Praedecessoris nostri quoad Ritus Graeco-Ruthenum edita in Congregatione Propaganda Fidei coram ipso habita die 7. Febr. ac die 7. Julii anno 1624. Quamvis autem aequum

*) Tom. XVI. p. 166, Edit. Luxembg.

videri posset liberam Italo-Graecis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a Graeco Ritu ad Latinum, cum ipsi inter nos versentur et Latino Episcopo subiciantur, tamen constitutum est, ut Sedis Apostolicae auctoritas ad id omnino requiratur, si de Ecclesiasticis tam Saecularibus quam Regularibus agatur: si vero Laici et Saeculares transitum huiusmodi postulerint, Episcopi sufficiat licentia, quam ob justas ac legitimas causas certis quibusdam personis moderate impertiri quidem potest, nunquam vero integrae Universitati: in hac enim facti specie Apostolicae Sedis auctoritate opus est, uti videre est in saepe memorata nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis*: 17. §. 2. n. 14. Bullarii nostri tom. 1.

§. 21. Quod si defendi vellet, Orientales et Graecos haeresim abjurantes et ad unitatem redeuntes allici jure posse ac urgeri ad Ritus suos deserendos Ritusque Latinum omnino amplectendum, eo quod alias probatum fuerit atque nunc etiam probetur, Orientales et Graecos Latinum aliquem Ritus sectari, opportuna haud desideratur responsio. Orientales siquidem et Graeci duas veluti classes constituunt. Prima est illorum, qui nequaquam contenti iis rebus, quae ab Apostolica Sede ipsis ad unionem conservandam permittuntur, extra honestatis limites impudenter feruntur, jactantes, quaecumque a se fiunt, ea jure optimo fieri Latinosque decipi, qui eadem non peragunt. Exemplo sit azymum: Graeci et Orientales, ut Catholici sint, fateri debent tam azymum quam fermentatum panem materiam esse aptam Sacramenti Eucharistiae et quemlibet Ecclesiae suae Ritus sectari oportere, adeo ut quicumque improbat Ecclesiae Latinae Ritus, quae in Eucharistiae consecratione utitur azymo, a veritate recedat et in

errorem prolatur. Hilarion Monachus in dialectica sua Oratione, quam Leo Allatius e Graeco sermone latinam reddidit tom. 1. *Graeciae Orthodoxae*, edito typis Congregationis de Propaganda Fide 1652 p. 762 haec advertit: *Et haec scripsi vobis, Graeci amicissimi, non panem vestrum, quem adorans aequae ac nostra azyma revereor, incusans sed exponens, neque probe neque ut Christianum addecet, vos gerere, dum Latinorum azyma dicto factoque laeditis injuriaque afficitis; in utrisque enim, ut dictum est, verus Christus continetur.* Exemplum est itidem ex libertate, Orientali et Graecae Ecclesiae relicta, ut qui in ea Sacris Ordinibus atque etiam Sacerdotio sunt insigniti, uxores, quas ante Sacrum Ordinem duxerunt, retinere valeant, uti patet ex *Can. Aliter, dist. 31. et cap. Cum olim, de Clericis conjugatis*. Romani siquidem Pontifices pendentes id nequaquam adversari divino aut naturali juri, sed tantum ecclesiasticis sanctionibus, opportunum censuerunt consuetudinem hanc inter Graecos et Orientales vigentem ferre, ne auctoritate Apostolica ad eam evellendam interposita illis occasio ab unitate recedendi praeretur; quod recte expendit Arcudius in sua *Concordia lib. 7. cap. 33*. Attamen, quis crederet? non defuerunt neque desunt ex Graecis et Orientalibus, qui Latinam Ecclesiam injuria arguunt tamquam Matrimonio infensam, propterea quod exemplum Apostolorum sequuta in suis Subdiaconis, Diaconis ac Presbyteris coelibatum servaverit ac servet. Legi potest *Hincmarus Rhemensis tom. 2. suorum operum epist. 51*. Tertium denique exemplum suppeditant nonnulli ex Coptis, quorum Ritus praescribit, ut post Baptismi Sacramentum illico adjungatur Confirmatio; qui mos non obtinet in Oc-

cidentalibus Ecclesia, quae plerumque talem in confirmandis aetatem exposcit, ut quid bonum quidve malum sit possint dignoscere. Romana Ecclesia veteri Coptorum consuetudini non adversatur. Verum (quis crederet?) existant ex ipsis nonnulli, qui Baptismum a Latinis collatum ideo perhorrescunt, quod post Baptisma Confirmationis etiam Sacramentum non fuerit ministratum. Quamobrem in nostra Constitutione 129., quae incipit: *Eo quavis tempore*: Bullarii nostri tom. I.*) merito a nobis arguuntur atque damnantur: *Sicuti lenitati et patientiae Sedis Apostolicae consonum videri potest, quod Copti in sua jamdiu recepto et ab eadem Sede tolerato usu perseverent, ita ferendum non est, quod Baptismum Ritu Latino et seorsim a Confirmatione collatum acerbo alienoque animo perhorrescant.*

§. 22. Alteram classem constituunt Orientales illi et Graeci, qui retinentes majori ex parte Ritus suos et insimul Occidentalium ac Latinorum Ritus venerantes, ex his nonnullos sequuntur, ex veteri consuetudine suis Episcopis perspecta et approbata atque insuper ab Apostolica Sede expresse vel tacite confirmata. In hanc classem referri possunt Armeni ac Maronitae, qui fermentatum deseruerunt et Eucharistiam sicut Latini in azymo faciunt, uti testatur *Abrahamus Echellensis in suo Eutychio vindicato p. 477*; quam quidem Armenorum disciplinam nonnulli tribuunt s. Gregorio Illuminatori, primo Armeniae Episcopo, qui initio saeculi quarti sub Tiridate Rege martyrii coronam est consecutus: alii vero s. Silvestro Pontifici aut s. Gregorio Magno eandem referunt acceptam in Conventionibus cum Armenorum natione initis, quae indicantur a Summo Pontifice Gre-

gorio IX. in suis Epistolis ad Regem Armeniae, relatis a *Raynaldo ad annum Christi 1139 n. 82*. Eam certe disciplinam ab Ecclesia Romana Armenis traditam testatur eorumdem Armenorum Sisensis Patriarcha Gregorius in Epistola ad Haytonem Patrem Leonis Regis Armeniae Coenobitam, apud *Clementem Galanum in Conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romana tom. I. p. 449*, sic scribens: *Quocirca nos a s. Romana Ecclesia aquae commixtionem (cum vino in calice) modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus azymum, Mitram episcopalem et modum signandi Crucem.* Vetustissima pariter et immemorabilis est apud Maronitas azymi consuetudo, ut constat ex *Morini Praefatione ad Maronitarum Ordinationes et ex Bibliotheca Orientali Assemani senioris tom. I. p. 410*; atque ex Synodo nationali in Monte Libano congregata anno 1736 et a Nobis in nostra Constitutione: *Singularis 31*. Bullarii nostri tom. I.**) confirmata, in cujus *cap. 12. de Sacramento Eucharistiae*, cum de azymo agitur, haec leguntur: *Qui mos et in Ecclesia nostra et apud Armenos quoque in Oriente ab immemorabili tempore obtinuit et authentica etiam hujus rei documenta proferre possumus.* Hoc Armenorum et Maronitarum exemplo Bessarion Cardinales, cui primum Abbatia Cryptae Ferratae sita in dioecesi Tusculana fuerat commendata, id obtinuit, ut Graeci Monachi in illa degentes in azymo consecrarent, quemadmodum legere est in nostra Constitutione 33. *Inter multa*: §. *Ut autem; Bullarii nostri tom. II.**)* Idem semper servatum fuit hodieque servatur in Ecclesia Collegiata s. Mariae de Grafeo nuncupata sita in Messanensi

*) Tom. XVI. p. 292. Edit. Luxenbg.

Decreta authentica. Tom. III.

*) Tom. XVI. p. 45. Edit. Luxenbg.

**) Tom. XVII. p. 157. Edit. Luxenbg.